



SECTIO I.



§. I.

uniuersitas est coetus quorundam hominum, consensu *a)* singulorum initus, et auctoritate superioris *b)* confirmatus, ad communem vtilitatem *c)* promouendam.

A §. II.

a) Inuitus enim nemo in communionem viuere cogitur, *l. fin. C. de comm. diuid.*

b) Nisi haec accedat, pro vera vniuersitate in Republica haberi nequit. Competunt quaedam priuilegia vniuersitati; haec, tanquam exceptiones a iure communi, nemo tribuere potest, nisi Legislator, seu superior, iuxta *l. i. pr. ff. quod cui. vniu. nom.*

c) Pertinent huc iura singularia, quae omnibus vniuersitatibus rite confirmatis ad exemplum Reipubl. competere dicuntur, *l. i. §. 1. ff. quod cui. vniu. nom.* hic enim finis per ea, tanquam media, optime promouetur.